



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XXIX. Dulcissimæ dilectionis fratri, & amico in Christo charitate
salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

mus, maximè vobis, vt verè dignum est, sanctissime patet, qui vestram laudabili voce bonitatem sæpissime domino Regi sub præsentia multorum testium narrare solebat, & egregiè pietatis per vos gesta, puræ fidei verbis, de vobis proferre studuit: quatenus piæ dilectionis fidem ostenderet: & vestræ Almitatis amorem plurimorum mentibus ingereret.

EPISTOLA XXIX.

Dulcissimæ dilectionis fratri, & amico in Christi charitate salutem.

Eccles. 9.

AMico antiquo, nouus non est similis amicus. Qui fortunam sequitur, & tempora obseruat, qui iuxta loci qualitatem mutatur, nunquam verus fuit. O si vox ferrea esset, & omnes pili verterentur in linguas, vt vel sic ad aures tui cordis verba dilectionis meæ peruenire valuissent. Vel in tuo pectore, spiritus esset prophetiæ, vt perspicere cordis mei arcana potuisset. Crederes utiq; quàm suauissimo sapore tui amoris pectus meum impleretur.

Sed nunc quod valeo, faciam; hos paruos apices, magnæ indices charitatis tibi dirigo, vt per hos intelligas, quod vix intelligi potest: sicut flamma potest videri, tangi autem non potest: ita charitas in literis cerni potest, sed vix in animo scribentis sentiri valet.

Quasi scintillæ de igne sparguntur; ita dilectio literarum officio volat. Sed plurimi sunt, in quorum corde extinguitur: ideo gratius lucescit, vbi vel aliqua eius flammula ardescit. Quia in te frater sanctissime, veram inueni charitatem, ideo nulla terrarum spatia me prohibent, secundum oportunitatē portantis, cupiens te in Christo petenniter

enniter frui; cuius amor nostra vtinam impleat corda, vt per eius dilectionem, nobis inuolabilis permaneat fraternitas, cuius charitatem, sicut sacerdos DEI summi, sicut tuba caelestis, sicut praeco salutis, cunctorum ingerere cordibus studeas.

Quidquid illius respuit sanctitas, instantissime prohibe; quidquid illius diligit bonitas, ardentissime praedica. Non terrena fragilitatis terreat potestas; non secularis ambitio sacerdotalem severitatem compescat. Nolite timere eos, qui corpus possunt occidere: animam autem non possunt.

Esto omnib. vita lucerna, praevius viarum DEI, exemplum honestatis. Esto miseris consolatio, medicina vulneratis, afflictis consolatio: pastor, non mercenarius; domus DEI, non speluncae latronum: palma florens, oliua semper virens. Noli columbas DEI vendere. Gratis da, quod gratis accepisti: Irreprehensibilem te ipsum in omnibus exhibe, vt vita tua doctrina sit populi: vt & bona conuersatione tua aedificentur plurimi.

Lege diligenter obsecro, Euangelia Christi: libros quoque alios Canonicae auctoritatis. Sed & Pastorale Beati Gregorij Papae saepissime perscrutare. His epulis animam tuam pascere, vt habeas, vnde alios reficere valeas. Mei quoque obsecro, vt memoriam habeas inter Missarum

solennia, & sacras orationes tuas; vt diuina clemen-

tia veniam mihi peccatorum, & coronam
tibi meritorum praestare
dignetur.

